DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA DE CHLOROSI

AUTHORE

CAROLO GMAIDLER

AUSTRIACO MYNZBACENSI.

VINDOBONÆ,

TYPIS JOAN. THOMÆ DE TRATTNERN,
CÆS. REG. AULÆ TYPOGR. ET BIBLIOP.

1766.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-34709-p0001-9
DFG

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-34709-p0002-5
DFG

DE CHLOROSI.

§ I.

Chloros, chloeros, χλοερὸς Contr. χλωρὸς, ambiguæ significationis, apud Hippocratem & incertum, quemnam colorem proprie denotet. Modo namque ex virore pallescens, interdum pallidum, luteum, aut subpallidum significat. Ita etiam oculi dicuntur illi χλωροὶ, hoc

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-34709-p0003-1
DFG

eſt lutei. Varias adhuc morbus hic denominationes obtinuit; aliis enim Icterus albus dicebatur, quia fæminæ morbo hoc affectæ ex albo virent. Morbus virgineus, quia virginibus plerumque proprius. Febricula alba, amatoria, plures enim credidere, morbum hunc ſæpe non niſi matrimonio curari; uti PANAROLUS, BAGLIVIUS.

§ II.

Unde vero color ille variegatus ſit, difficulter explicatur: hoc interim per ſanioris philoſophiæ principia perſpicuum eſt, colorum diverſitates a denſitate & craſſitie minimarum particularum corpus componentium dependere: cum itaque in minuta ſucceſſive ſolidorum in fluida actione ſanguis ex denſitate naturali per infinitos propemodum gradus denſitatis tranſeat, & inſuper particularum craſſities ſive ex diſſilientibus globulis in ſuos

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-34709-p0004-7 DFG

elementares ſive ex coeuntibus analogis in ſanguine principiis, multis modis differre poſſit, clarum fit, poſſe ſanguinem omnes ſeptem primigeneos colores ſucceſſive induere; verum quoniam humores cum ſanguine circulantes multiplices ſunt, & multum ſibi diſſimiles, neque omnes per eadem vaſa circulantur, neque etiam illi, qui homogenei ſunt, eandem vaſorum vim experiuntur, alii citius, alii tardius ſuum abſolvunt circulum, alii etiam obſtructis in vaſis impacti manent, intelligi facile poteſt, quomodo in cacochymico tali corpore queant ſimul & ſemel multiplices, & variegati colores repræſentari.

§ III.

Non difficulter intelligitur, in quo febricula hæc virginalis, quæ hunc morbum comitari ſolet, conſiſtat. Generalis quidem febrium cauſa conſtituitur

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-34709-p0005-3 DFG

a BOERHAVIO aphor. §. 577. in ſtagnatione humorum ad extrema vaſa, & in acrimonia cor irritante: horum autem utrumque in hoc morbo adeſſe facile concipimus, ſiquidem ſanguinis cacochymici cum manifeſta nutritionis depravatione ſigna habemus luculenta, & ipſe Hippocrates in coacis dicit: decolorem faciem cum greſſu difficili, ſpirandique difficultate, & deſiderio rerum alienarum ſignificare ſanguinis corruptionem. Verum color ille olivalis, quaſi eſſentialis chloroticis in aliis febribus non adeſt, & ſpiſſitudo mucoſa frigida febrium naturæ eſt contraria.

§ IV.

Hæc febricula, quæ ſe morbo huic ut plurimum aſſociare conſuevit, aliquibus authoribus ut BALLONIO, WELSCHIO, ad epialam refertur. Nutritio depravata talium ſubjectorum

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-34709-p0006-8 DFG

comitem habet acrimoniam, ut dictum fuit, quæ si majori in gradu adsit, consumit sensim corpora; & tunc febricula talis lenta, continua, post pastum, & vesperi semper exacerbata potius hectica dicenda est. Si vero acrimoniam notabilem non observamus, sed spissitudinem mucosam potius morbus talis, si nimis inveteratus, neglectus, vel pertinax, ob debilitatem solidorum & languentem circulationem in leucophlegmatiam, & hydropen transire solet; etiamsi & in priori casu hoc accidere possit, sed in secundo febris illa forte non tam manifesta observatur.

§ V.

Aggreditur malum hoc sequioris sexus illa corpora, quæ dispositionem ad id aliquam jam habent. Deinde, quæ per malam vitæ consuetudinem, otium, errorem in victu, & diæta, hoc idem

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-34709-p0007-4 DFG

ſibi accerſunt. Diſpoſitionem vero habent illæ, quæ a debilioribus parentibus natæ, corpore quoad ſolida flaccido, quoad humores mucoſo, inerti, jam monſtrant aptitudinem ex omni parte morbum hunc, dummodo & vitæ ratio, diæta, victus, eo colliment, contrahendi. Saniſſimæ vero in eundem incidunt, dum nimio uſu aquoſorum, cibis farinoſis, leguminoſis, tenaci glutine abundantibus, &c. ut deinde pluribus patebit, accedente ſimul otio, corpus debilitant, digeſtionem vitiant, ſanguinem circulationi ineptum efficiunt.

§ VI.

Non ſolum infeſtat, quæ viro jam maturæ, ex ephebis exceſſerunt, annis jam ad prodeunda menſtrua inſtantibus; ſed etiam puellas ſeptennes, novem, decem annos natas, ex maritatis vero, nonniſi ſteriles, & quidem eas

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-34709-p0008-0 DFG

rarius invehi ſolet. Adeoque luculentiſſime apparet, falſum eſſe, eas tantum chloroſi laborare poſſe, quibus tempus menſtruandi imminet, aut quæ catameniis jam aliquoties gaudentes, hoc deinde corporis tributum ob cauſam quamcunque ſuppeditare amplius non poſſent. Verum eſt, multos illud non ſine omni fundamento aſſeruiſſe, quia nempe obſervavere, plurimam puellarum partem hac morbi ſpecie tunc temporis laborare; dum ad maturitatis ſtatum evectæ penſum illud naturæ vel exſpectarent, vel eo jam fruerentur. Adeoque concluſere, nullam, niſi a deficientibus menſtruis chloroticam eſſe, quod tamen verum non eſt. Utique facile conceptu eſt, puellam quocunque ætatis tempore ob ſummam plethoram, quam ſuppono, vaſa adeo debilia, conſequenter ſanguinem etiam optimum ſtagnatione ita degenerantem in laticem

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-34709-p0009-8 DFG

mucoſum, inertem, naſci poſſe; vel eandem non plethoricam per indigeſtibilia, aquoſa, terreſtria, glutinoſa &c. accedente otio, eo redigi poſſe, ut ſenſim chloroſis in conſpectum prodeat, adeoque uti fere totius corporis, ita etiam uteri vaſis pro maxima parte obſtructis ſanguinem menſtruorum forma apparere non poſſe, aut ſi paucus, is fluoris albi tantum ſpecie reperitur. Ergo tunc menſes deficientes non cauſa, ſed effectus potius erunt pallidi illius virginum morbi. Non diffiteor quidem, non raro & a retentis quacunque de cauſa menſtruis chloroſim oriri poſſe; ſed dico tantum, non ſemper morbum hunc ab hac cauſa pendere.

§ VII.

Conſiderandum nunc in ordine venit, ut hujus mali cauſæ recenſeantur, quia in curatione dein longe facilius erit in-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-34709-p0010-9 DFG

dicationem formare, quæ & valde necessaria, sed & varia, juxta varietatem causæ, Medicum instruit, quid agendum, aut præscribendum erit.

§ VIII.

Aliqui medici causam delitescere in visceribus sub hypochondriis locatis asseruere. Ita Ballonius de affectibus mulierum pag. 461. dicit: fit autem ob peculiare vitium aut lienis, aut hepatis, aut alius partis internæ; præsertim lienem accusat. Observatur certe in fœdatis virginibus sæpe Hypochondriacum aliquid, nam ructus, Borborigmi, sitis, Hypochondriorum tumores, inflationesque, mala coctio, inappetentia hoc satis declarant. Sydenhamus vero observavit affectionem hystericam in hoc morbo, ita, ut in dissertat. epistolari pag. 402. febrem albam non dubitet speciem adfectionis hystericæ no-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-34709-p0011-5 DFG

minare, & verissimum est, symptomata aliqua luce meridiana clarius patefacere, ataxiam nervorum adesse, nam horrendæ palpitationes cordis, animi deliquia, mirus, & ingens capitis dolor in uno loco fixus, medicamentis non raro magis exacerbandus, evidentissima signa affectorum nervorum habentur. Potius itaque Hypochondriasis, sine præsente aliqua peculiari affectione hepatis, aut lienis, hoc est sine obstructione, tragœdias tales ludere videtur. Celeberr. BALLONIUS hoc defendit tantum, ut colorem illum specificum, Icterum album ex obstructione horum viscerum, & retentione aliqua bilis explicare posset, sed illum aliunde derivari debere dixi § 2*do*.

§ IX.

Specialiores vero causæ chloroseos sunt:

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-34709-p0012-1 DFG

1. Debilitas corporis hæreditaria, dum parentibus nata puella, qui laxa, & debili conditione corporis; otiosi, aqua multa calida usi; qui morbis chronicis, venere, ætate exhausti; debilitatem, & cacochymiam, quasi per genituram communicarunt tenello corpori, quod corpus per se jam, ob inertia solida, & fluida aptissimum est morbum hunc contrahendi.

2. Debilitas connata. Ipsa nempe naturalis fæminei corporis mollities, quod fibris flaccidioribus, minus resistentibus, sanguine minus compacto, aqua copiosiore abundante, gaudeant.

3. Plethora non raro deprehenditur causa fuisse, dum vasis sanguine copiosissimo plenis, & ultra tonum distentis, ipse cruor, non motus, sensim dissilire, totusque in mucosum, inertem laticem mutari incipit; tunc genæ, palpebræ, labia, totaque facies ante rubicunda pal-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-34709-p0013-7 DFG

lescere visuntur. Quæ species chlorosis ab hac causa omnium facillime curabilis, dum mature satis (etsi jam color ruber in pallidum converti incipiat) venæ sectione prævenitur, ut sanguis iterum moveri, vasa vim suam exercere, & hoc ipso spatium aliquod obtinens, compingi, in rubrum ex integro mutari possit.

4. Assumpta, ut cibi farinacei, leguminosi, aquosi, viscosi, qui a puellis otiosis præsertim assumpti, ob tenacitatem nimiam, non possunt superari earum viribus immutantibus. Ventriculus, & intestina tunc gravantur indigestili materia, & crudis humoribus sanguini admistis, degenerant omnia liquida a naturali sua indole, sicque morbus talis cachecticus facile nascitur; aquosa vero non quidem difficulter digeruntur, tamen copiosiora ventriculi robur laxant, ut etiam illa facilioris digestionis difficile digerantur.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-34709-p0014-2
DFG

Si autem a difficilioris digeſtionis cibis chloroſis naſcatur, longe facilius hoc fiet, ſi depravato appetitu aſſumuntur talia, quæ nullo modo digeri poſſunt, uti ceſpites, creta, arena, calx, cineres, linteamina, cera ſigillatoria, carbones, & abſurda talia, quorum ſæpe puellæ adeo avidæ ſunt, ut, etſi admonitæ, ea, ſi obtinere poſſint, optimo cum appetitu vorare ſoleant.

5. Palmaria vero cauſa debet dici hujus morbi defectus motus animalis. Etiamſi ceteræ enumeratæ cauſæ omnes ponantur, vinci tamen facile poſſunt, & ſic vinci, ut ipſum ſeſe corpus juvet, absque etiam adhibita manu; imo fere impoſſibile eſt, hunc oriri poſſe morbum, ſi corpus variis exercitiis moveatur.

Et viriſſimum eſt, fæminas ruſticas quotidie duris laboribus corpus frangentes ſere nunquam talia pati; ubi e contra numeroſæ conſpiciuntur in urbibus,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-34709-p0015-8 DFG

quæ nunquam corpus moventes, ſomnoque nimis indulgentes, adeo pallent, & languent, ut mirentur medici, miſeras tales corpora ſua circumferre poſſe. Atque mirum videri non debet, quoniam conſtat ex Phyſiologicis, chylum ex ingeſtis paratum ſanguini venoſo permiſceri, & adhuc diu indolem ſuam retinere, tandem tamen octo vel decem horarum ſpatio aſſimilari penitus humoribus noſtris, neque amplius apparere in ſanguine. Verum in illis, qui inerti otio torpent, & ſomno indulgentes fere nunquam vigilant, languet muſcularis motus, qui tantum confert ad validam, & expeditam ſanguinis circulationem; unde illa aſſimilatio chyli tardius in talibus & minus bene perficitur, adeoque ſenſim degenerantibus humoribus inducitur talis cachexia, uti quotidiana docet obſervatio.

6. Eva-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-34709-p0016-4 DFG

6. Evacuationes nimiæ, per vomitum, alvum, ſudores, hæmorrhagias &c. docetur in phyſiologicis, ad chylificationis negotium maximum Symbolum conferre inquilinos humores, qui in ventriculum, & inteſtina copioſe perpluentes miſcentur cum aſſumptis, & illis characterem quendam conciliant, vi cujus humoribus noſtris aſſimilantur; ſi igitur magna humorum jactura per prædictas evacuationes facta fuit, patet, aſſimilationem aſſumptorum in naturam aſſumentis fieri non poſſe, ut vel inde ſolum cacochymiæ neceſſario ſecuturæ ratio intelligatur, taceo, quod per evacuationes motus circulationis imminuatur, ſpirituum ſecretio impediatur, & plures in humoribus ſpontaneæ degenerationes ſequi debeant.

7. Evacuationes impeditæ, ſive ſana ſint ea, quæ excerni debuiſſent, ſive acria, & morboſa: nam hæmorrhois

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-34709-p0017-0 DFG

v. g. aut hæmorrhagia narium periodo ſuæ non obſequioſa poteſt in corpore efficere plethoram, & proinde, ut Nr. 3. dictum, cauſa chloroſeos exiſtere poteſt. Multo facilius intelligitur, ex retentis morboſis, & acribus in corpore, ex ſuppreſſa perſpiratione, urina, ulceribus, ſcabie &c. Cacochymiam etiam in ſaniſſimo prius corpore oriri debere.

8. Hyſterica paſſio. Fluidorum enim indoles, & vaſorum capacitas mutata, atque inordinatus liquidi nervei motus turbare poſſunt omnia, inprimis, ubi humores ſunt ſoluti, vaſa tenera, quemadmodum in hyſtericis obſervari ſolet: non mirum igitur, ſi digeſtio, chyli elaboratio, & ejus diſtributio perturbetur: accedit, quod ſpaſmi poſſint aliquando evacuationes adaugere, quemadmodum ex urina aquoſa talium ſubjectorum, dum paroxyſmo detinentur, apparet, alias autem evacuanda in

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-34709-p0018-6 DFG

corpore detinere. Fæminæ, quæ vitæ urbanæ mollitie abutuntur, & chlorosi, & hysterícæ passioni magis obnoxiæ vivunt, ut adeo hæ affectiones communibus causis originem debere videantur.

§ X.

Enumeratis præcipuis hujus morbi fontibus, patet, juxta varietatem causarum corpori applicatarum produci etiam effectus, quos ab iisdem, si rem bene meditemur, facile deducere possumus, qui insuper ut signa inservire debent.

§ XI.

Quibus signis bene perspectis facile erit diagnosim morbi formare, quæ, etsi maxime necessaria, sæpissime tamen Medicos cruciat, præsertim, ubi vitium interni alicujus visceris simul peccat, aut

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-34709-p0019-4 DFG

alia quædam labes decurſum morbi perturbat.

§ XII.

Intelligimus denique, poſitis variis cauſis, etiam oriri varias indicationes, adeoque curationi chloroſeos non unicum ſufficere medicamentum.

§ XIII.

Signa autem hujus morbi, ut effectus ſunt:

Cutis albitudo, pallor, lividitas, viror.

Determinare autem colorem impoſſibile eſt, modo enim pallent, modo ex albo virent, alia vice ſubflavent, hoc inprimis in oculorum canthis apparet; interim hoc a ſero dependere videtur.

Tumor ſub oculis, & partium tenuiſſimarum.

Nam indicia tumoris leucophlegma-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-34709-p0020-5 DFG

tici ſtatim conſpicua fiunt in laxiſſimis ſub oculis partibus Hypopia dictis. Ob neceſſariam enim mobilitatem, qua indigent Bulbi, debent omnia vicina facile cedere poſſe, hinc eſſe laxiſſima: videmus hoc in ſanis; poſt ſomnum plus minus tument oculi, qui tumor tamen brevi poſt levem frictionem evaneſcere ſolet. Simul muſculorum adjacentium actio, & palpebrarum, ſitus vigilantibus erectus, faciunt, ut brevi diſſipetur illud, quod in tenerrima illa celluloſa ſub oculis collectum hæſit. Verum in chloroticis, ubi omnia laxiora ſunt, & major humorum viſciditas, manet ille tumor, nec poteſt integre diſſipari.

Gravitas, laſſitudo, torpor.

Conſtat ex phyſiologicis, quod bonus requiratur ſanguis, ad ſecernendos in encephali fabrica ſpiritus, qui muſculari motui inſerviendo maxime requi-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-34709-p0021-1 DFG

runtur, ſed in chloroticis omnes humores a conditionibus ſanitatis degenerant, ergo deficiet illud fluidum nerveum vel copia, vel qualitate; unde illa alacritas deficit, & vix languida trahunt membra. Præterea, ubi circumductio humorum per aliquam partem impeditur, uti in phlegmone v. g. brachium occupante, ſtatim ſentitur, partem illam graviorem eſſe; cum autem in chloroſi adſit illa frigida, & iners cacochymia humorum, quæ cauſat difficilem illum tranſitum liquidorum per vaſa, facile explicatur gravitas illa membrorum.

Tumor pedum, & partium a corde diſtantium.

Quia ibi aliunde tardior circulationis motus eſt, nam contra gravitatem aſcendere debet ſanguis. Deinde in chloroticis languet cordis & arteriarum actio, motus muſculares vel omnino non, vel

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-34709-p0022-7 DFG

admodum languide exercentur, adeoque deſunt illa adminicula, quæ expeditum humorum venoſorum ad cor reditum procurant.

Pica, Malacia.

Sunt ſymptomata gravidis etiam communia, & morbo huic quaſi propria; etſi difficulter horum ratio dari poſſit, tamen a depravata conditione humorum dependere videntur.

Ructus, Flatus, Borborygmi.

Chylopœſis bona in iis languet, hinc ingeſta ſuam ſequuntur naturam, & vel in fermentationem, vel putredinem vergunt.

Cordis palpitationes, & arteriarum.

Ad motum minimum vehementer augentur. Cor nempe ſiniſtrum nihil expellere poteſt, niſi quod prius a dex-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-34709-p0023-2 DFG

tro recepit, ſed cor dextrum parum accipit ob tardum motum ſanguinis venoſi, hinc & pulſus debilis; ſimul ac corpus movere incipiunt, vel gradus aſcendere coguntur, venæ plenæ a muſculis agentibus preſſæ ſubito movent humores verſus cor dextrum, quod ſic obruitur, & non poteſt totum acceptum tranſprimere per pulmonem, unde fit cordis palpitatio, & reſpiratio laborioſa.

Urinæ crudæ, aquoſæ.

Quia fere omnes actiones viſcerum languent, hinc ob circulationem tardiorem illud colorans exprimi non poteſt; deinde ob eandem rationem perſpiratio impedita plerumque eſt, hinc fere omne aquoſum ad organa uropoietica ruit, & ſic urinam diluit. Forte etiam hyſtericis ſpaſmis, qui ſæpe adeſſe ſolent, ut vidimus, aliquid tribuendum eſt. Tamen verum etiam aliquando eſt, quod

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-34709-p0024-8 DFG

ſudoribus ita diffluant, ut in maraſmum incidant, qui finem morbo, & vitæ imponat. Nutritio enim aliunde ita vitiata eſt, ut ſenſim corpus contabeſcat, carnes flaccidiores reperiantur, præſertim ubi acrimonia major ſemel ſe jungit.

Hydrops, vel leucophlegmatia.

Poſt malum inveteratum, & irradicabile ſæpe oritur, dum aquoſum a ſanguine ſecretum, nec ob debilitatem virium amplius reſorptum, accumulatur in cavis majoribus corporis, vel in tunica celluloſa, quod adnotatum jam ſuperius fuit.

§ XIV.

Deſcripto ſatis, ut mihi videtur, morbo quoad originem, ejus cauſas, & effectus, non difficile adeo apparet, diagnoſim formari poſſe, qua diſtinguamus hoc malum a ceteris, quæ neceſſaria

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-34709-p0025-4 DFG

ſemper eſt, niſi velimus in errores incurrere, aut contraria exhibendo medicamenta, vel ægrum negligendo, malum reddere immedicabile.

§ XV.

Difficilius autem eſt, certa dare ſigna prognoſtica, cum morbus valde mutabilis inveniatur, nam etſi ſubinde curari videatur, ex improviſo easdem quacunque de cauſa ludit tragœdias. Accedit, quod fæminæ tales, ſæpe immorigeræ conſilio medicorum inveniantur, dum medicamenta, præſertim Martialia earum corpora valde turbare ſoleant, vel dum indicia curationis apparent, priſtinam iterum diætam, vitamque otioſam colant, renaſcente eodem modo morbo. Ceterum prognoſim firmant primo: conſideratio cauſæ, nam malum in primis viis hærens facilius curatur. Secundo, duratio morbi, in principio enim citior promittitur curatio.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-34709-p0026-0 DFG

Tertio denique effectus § XIII. ennumerati. Sic v. gr. dum fæminæ ad minimum corporis motum anhelare jam incipiunt, & fere suffocantur, nonnisi mala, & subitam etiam mortem prædicere possumus.

§ XVI.

Ordine nunc ducor, ut aggrediar hujus morbi curationem, quæ ut feliciter succedere possit, respiciendum erit ad causas, quas § IX. fere omnes recensui. Nam uti in omnibus morbis cura dirigi debet ad causam, si felicem sperare successum velimus, ita & hic attentos esse oportet; ne insipientium agyrtarum more corpora sauciemus, & fere totum medicamentorum catalogum, unum post alterum temere arripiendo, impendamus.

§ XVII.

Interim tamen nocet plurimum in arte medica exactam nimis sequi metho-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-34709-p0027-5 DFG

dum, quod agendorum cognitio ſit valde difficilis; itaque in eodem etiam ſubjecto varianda ſæpe venit Methodus curandi: modo enim venæ ſectioni locus eſt, modo purgandum, modo negotium naturæ tradendum, modo medicamentis aperientibus, detergentibus, rarefacientibus &c. agendum, idque diverſimode fieri debet.

§ XVIII.

Ut ergo rem ordiar, primum, quod nobis tales puellæ faceſſunt negotium, eſt in ventriculo, qui ut plurimum maxime affectus eſſe ſolet; nam conqueruntur de ejus debilitate, ructibus, flatibus, inappetentia, quæ ſymptomata, cum prodant mucoſitatem; indicant hujus attenuationem, deinde expulſionem. In hunc ſcopum celebria ſunt: ſalia media, ſal polychreſtus, tartarus vitriolatus, arcanum duplicatum, ſalia alcalina, ut ſal abſynth. card. Benedict. & ſi-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-34709-p0028-1 DFG

milia. Eo etiam collimant gum. amon. Galb. ſagap. Myrrha, etiam bilis animalis, ſapo venetus &c. Tincturæ alcalinæ, quæ vim incidendi, attenuandi, leviter etiam expellendi mucum ventriculi, & *inteſtinorum* parietibus *adhærentem* poſſident. Melius vero proceditur, dum hæc incidentia cicurantur leniter purgantibus. Sic ſcrupulo uni Maſſ. pill. Ruffi, ſi addatur aliquod ſal, & gummi, & fiant pill. de quibus per tres vel quatuor dies aliquot aſſumantur, *optime ſimul incidendo* expellitur ſenſim ſaburra illa, qua evacuata deinde felicius cætera operantur medicamenta. Idem præſtabit extractum *catholicum minori doſi*, aliis junctum.

Inſignem quoque hic uſum habet Hiera picra ſive in pulvere, ſive in electuario. Sic v. g. ſi ſumantur Elect. Hieræpicræ drachma una, & Theriacæ Diateſſeron unciæ tres. Et omni tri-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-34709-p0029-0 DFG

horio detur ad magnitudinem nucis moſchatæ, optatum ſæpe conſequimur inde effectum. Uti pauperibus in noſocomio, a cel. Profeſſore de HAEN præſcriptum vidi.

§ XIX.

Si vero chloroſim in puella, quæ bono ſanguine abundat, naſci ſuſpicemur, quod cruor ob plenitudinem vaſorum quaſi ſtagnare, conſequenter degenerare in mucoſam indolem incipiat; antequam malum altiores agat radices, nempe dum pulſus adhuc ſatis fortis, color ſubrubellus, ita, ut cruor, ſi ſpatium in vaſis lucretur, circulationi adhuc aptus judicetur; tunc unicum, & ſolum remedium erit venæ ſectione prævenire malo, quod, ſi diutius ſibi permittatur, longe plura, præcipuis etiam fruſtra adhibitis, ad ſui exiget curationem. Venæ Sectio vero inſtituatur in pede, præſertim ſi Menſes defuerint jam ante mor-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-34709-p0030-1 DFG

bum incipientem. Ceterum ubi purus latex mucosus per vasa fluit, & pallidæ toto corpore incedunt puellæ, a venæ Sectione maxime, & a fortioribus catarcticis abstinendum. Si vero casus existat, ubi magna plenitudo ad vires, etiam meri mucosi sanguinis, adsit, ut suffocationis periculum instaret, & febricula alba hunc morbum concomitans, exorbitaret, venæ sectioni etiam locus, ut testatur Ballonius. De virginum morbis.

§ XX.

Post hæc § XVIII. præmissa, scopus est accedere ad roborantia, quæ sanguini successive suppeditata eum vehementius moveant, ut digeratur per actionem vasorum excitatam mucosa indoles; non solum autem ex hac causa, sed etiam, ut primis viis purgatis, eæ stimulentur in perfectiorem ingestorum elaborationem, hoc ipso massæ

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-34709-p0031-6 DFG

communi reddatur chylus bonus, nutritionique aptus. Ex hac Classe sunt illa fere omnia, quæ in cel. Professor. CRANTZ materia medica sub titulo cardiacorum stimul. tertiæ classis ut & sub titulo Adstringentium enumerantur. Et ubi fæminæ sunt, quæ recusent, omnino Martialia ob turbas, ab iis sæpe excitatas, stimulantia hæc pulchrum habent usum. Interim maxime notandum est, caute in his ab initio procedendum esse, nam si simul & semel ob stimulum vehementiorem, sanguis ille fere immeabilis in motum ducatur, male consuleretur talibus puellis, dum obrueretur cor aliunde debile, & pulmones, in quorum finibus mucus ille necessario stagnare deberet, adeoque anxietatis, suffocationisque periculo immineret.

Præcipua autem sunt: cal. arom. Imperat. Angelic. Aristoloch. cort. aurant.

cin-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-34709-p0032-2 DFG

cinnam. citri. nux Mosch. rad. ari. galang. Helenii. laurus. Sem. calida &c. quæ in forma electuarii, Pulverum, vini medicati, exhiberi possunt.

§ XXI.

Primum tamen, inter cetera omnia medicamenta tenet locum Mars, qui ab omni tempore hoc in morbo mirandos præstitit effectus. Ferrum autem præ chalybe, & hujus quidem limatura præ cæteris omnibus præparatis, tutius adhibetur. Abstinendum tamen, ubi suspicio est latitantis alicujus in corpore visceris scirrhosi, aut ulcerosi, partium solidarum admodum tensarum, putridorum succorum in primis viis hærentium, aut acrimoniæ in sanguine notabilioris. Exhibetur feliciter in pulvere, si acidum in ventriculo; melius autem acido aliquo extra corpus, solutus, nam limatura primarum viarum muco, si occurrat, inviscari potest, ut parum, aut nihil agat. Nempe sumitur limatura

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-34709-p0033-8 DFG

ferri non rubiginosi, additis aromatibus roborantibus, ut cort. cinnam. Magellan. nuc. Mosch. lauro, &c. infunditur in vino austriaco albo per viginti quatuor horas, ut ter de die talis vini Medicati uncia detur. Mirus tunc sequitur effectus, incipit enim subsidere sensim laxus ille corporis tumor, pallor mutatur in sanum & vividum colorem rubrum, agilitas redit torpidis & segnibus antea membris absque ulla evacuatione illius lenti glutinosi, & intra paucas septimanas omnes corporis functiones restituuntur.

§ XXII.

Dixi § VIII. in chlorosi adesse Hysterici aliquid teste SYDENHAMO; præterea § IX. inter causas hujus morbi Hystericam passionem numeravi. Si ergo ab hac causa morbus est ortus, curatio eadem erit, nempe per Martialia, roborantia, adstringentia, cort. peruvia. accedentibus simul variis corporis exercitiis. Si autem magna perturbatio

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-34709-p0034-4 DFG

ſpirituum, paroxyſmi hyſterici valde frequentes, denique magna ataxia, antihyſtericis ſimul pugnandum erit, v. g. Succino, caſtoreo, aſa fœtid. Sal. vol. C. C. oleoſo Sylvii. Moſcho, camphora, opio.

§ XXIII.

Interim, cum frequenter morbus debeatur otioſæ puellarum vitæ, & defectui motus animalis, ut § IX. Nr. V. vidimus. Sub uſu Martis præſertim notandum eſt, ut ſalubri corpus motu exerceant, tam ſub ipſa cura, quam poſt eam. Toties enim dolent medici, curatas a chloroſi puellas, dum nolunt, imprimis opulentiores, inertem vitam cum laborioſa permutare, poſt paucos menſes æque languidas reddi, ac ante fuerant, ita, ut ter etiam eadem cura repeti debeat Teſte Illuſtriſſimo: ſed in principio caute agendum, nam periculo non careret, ſi per ſubitum motum, & ultra vires auctum, ſtagnantia ſimul ac

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-34709-p0035-0 DFG

ſemel circulantibus homoribus miſcerentur; brevi enim hæc pulmonem infarcirent lentore ſuo, & ſuffocationis periculum facerent. Ergo in primis incipiendum a frictionibus, primo lenioribus, dein fortioribus cum pannis laneis, imbutis vapore accenſi ſuccini, maſtiches, olibani, & ſimilium. Auctis dein viribus ægræ vectiones in Rheda ſucceſſive adhibendæ, donec firmum jam corpus propriis viribus moveri poſſit; tunc ad ambulationes & curſus procedere licebit.

§ XXIV.

Depravatus victus, & appetitus rerum alienarum, indigeſtibilium, quem accuſabamus § IX. ut cauſam chloroſis, corrigi debet ita, ut victus paretur ex iis, quæ facile ſubigenda, imo liquidis ſanis ſimilia ſint; ergo abſtinendum a farinoſis, lentis, uti & a gelatinis, ex animalium partibus coctione cum aqua paratis, vitanda aquoſa, fructus

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-34709-p0036-5 DFG

horræi crudi, olera in acetariis parata, cum ob aquosam sanguinis indolem, tum ob acidum, quod in chloroticarum ventriculo nidulari solet. Curandum deinde sedulo, ne indigestibilia, quibus maxime delectantur, *ut calx murorum*, lana, carbones, *lateres* &c. ad manus sint, & serio admonendæ, ne talia assumant, etsi, sanguine semel mutato, talis appetitus sponte evanescat. Cibi ergo concedendi ex carnibus juniorum animalium assis, piscibus fluviatilibus pariter assis, pane biscocto, cum potu pauco, sed meraciori; ut victu sicciori semper utatur ægra.

§ XXV.

Si ab evacuationibus nimiis morbus originem trahit, hæ impediendæ, ita, dum menses nimii, vel a laxitate uteri, vel totius corporis profluunt; curatio eadem erit per roborantia, adstringentia, vel topica, vel universalia. Si econtra ab evacuationibus suppressis, ut

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-34709-p0037-1 DFG

v. g. hæmorrhoidibus, menſtruis, hæ reſtituendæ, reſpiciendo autem ad cauſas.

§ XXVI.

Antequam curationem integre abſolvam, ſermo adhuc faciendus eſt de ſententia illorum authorum qui chloroticis unice ſuadebant matrimonium. Credebant enim aliqui morbum hunc ab amore ſæpius oriri. Sic PANAROLUS obſervat. Med. Pentec. III. obſer. 14. clare dicit: *Innumeras virgines febre alba correptas obſervavi, quæ non aliam ob cauſam in hunc morbum inciderant, niſi ob amorem. Quapropter Medicis omnibus conſulerem, ut, cum morbum obſervant, majorem curam ponant, ſi fieri poteſt, ut virgines nubant.* Pariter BALLONIUS Lib. IX. de affect. mulierum, pag. 461. ſentit. Sic etiam BAGLIVIUS cap. XIII.

Notandum autem eſt, plurimos credidiſſe, uti ſuperius dixi, morbum hunc ſolum oriri a ſuppreſſis catameniis; ob

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-34709-p0038-7 DFG

hunc finem intenti erant tantum in curatione, ut promoverent menſtrua, quibus fluentibus curam abſolutam credidere. Ex hac ratione adduxerunt Hippocratem de virginum morbis, ſuadentem matrimonium. Quem vero intellexiſſe tantum virgines menſtruis deſtitutas ob vaſa uteri rigidiora, minus cedentia ſanguini per oſcula minima exituro, conſtat ex Illuſtriſſimi commentar. Tom. 4. de virginum morbis. Interim credibile eſt, chloroticam puellam, in qua languet totum corpus, circulatio fere nulla eſt, aliquem effectum ſperare poſſe, in quantum matrimonio devincta, per æſtrum venereum corpus vehementer movetur, nervi multum irritantur, irritati excitant vaſa in oſcillationem, conſequenter ſanguis paulo citius circumducitur, & motus humorum augetur, in quo humorum motu naturali ſimili conſiſtit integra ſanatio hujus morbi. Saltem medicamenta hoc

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-34709-p0039-5 DFG

in casu simul morbo propria adhibita, citius, & jucundius effectum suum consecutura, in propatulo est. Solum autem matrimonium semper hoc efficere posse, merito dubitatur, si consideretur corpus tale chloroticum, quod solida laxissima, mucum pro cruore, nutritionem sæpe valde peccantem ob acre qualecunque, exhibet; certe in simili rerum conditione herculea magis medicamenta locum habere possunt.

§ XXVII.

Casus extant, ubi scabies multa oborta toto corpore erat; hæc relinquenda est, minime reprimenda, & suo tempore catholicis curanda, nam liberare quandoque solet ab hoc morbo. Idem intelligendum est de gravedine, ulceribus cacœthicis, quæ itidem profuisse constat, & integre morbum curasse.

FINIS.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-34709-p0040-6
DFG